61396/P

DISQUISITIO MEDICA INAUGURALIS, DE FEBRIS CAUSIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GEORGIUS EDWARDS,

BRITANNUS,

Phyſico-Med. Soc. Sod. Hon.

Ad diem 12. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXII.

To

Mr. Letcherwood
from his
Humble Servant
G Edwards

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

316863

TIMOTHEO DICKONSON,

Eboracenſi, Anglo,

Chriſti Miniſtro

Ingenuo, ſincero, pioque:

Item,

ALEXANDRO WOOD,

Edinenſi, Scoto,

Chirurgorum nemini ſecundo;

Quorum virtutum,

Scientiae probatae,

Maximique beneficii

Amiciſſime ab iiſdem accepti,

Memor in aeternum futurus,

Has paginas dicari voluit

A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30355515

DISQUISITIO INAUGURALIS

DE

FEBRIS CAUSIS.

MENS humana profundis naturae cauſiſque rerum in eruendis negotio continuo occupatur; atque argumenta, hujus ſui ſtudii ~~ſcopum~~, tum placita opinione, cum factis adminiſtrantibus, conatu optimo captat colligitque. Diſceptationes eas, plerumque theoreticas, ſaepe et errare et mentiri in propatulo eſt; aeque tamen, eaſdem ſcientiae eſſe ſpiritum, et omne, conſtat: Itaque exulare, et furca noſtro pelli pectore, non oportet. Contra tamen viri, aliter haud male meriti, telis adverſis ivere. Ante vero evinci debet, quam illis, theoriae finem ſuadentibus, atque hoc in modo philoſophiae emendationem volentibus, auſcultemus; an voluntati eorum ſatis-

facere

facere genus humanum penes ſit, et qui efficiendum poſſe, cogitationis ſane theoreticae ardorem, nato muliere cuivis inſitum, praecordia tyrannide ſecura occupantem, unicum quidlibet agendi vel quidlibet cogitandi ſuaſorem, ſuffocare et ejicere. Impoſſibili vero re, nempe hypotheſios exilio, in votum tradita iniquum, quales ſperarentur fructus? Theoria, quae animum quadam pulchra opinione detentum accendiſſet, ad hanc ſtabilito experimento confirmandam, perierit. Niſi mens primario prae ſe ferat aliquid opinione fretum, an factis metiendum, an novo tentamine probandum, philoſophia haud proficiet, atque experimenta habebis nulla: Illa vero hebetata, et ſummas loci anguſtias reſpiciens, nunquam ad grandia aſſurgat. Quamobrem, ſane curioſam eſſe indolem noſtram, atque aliter conſtare neque poſſe neque oportere, omni ratione aeſtimamus. Vincula, igitur, compedeſque crudelia, duriſſima, nefanda, ſervitutem, vimque menti meditantia, eximantur, et laeto plauſu effringantur. Ingenii vero talis, praecipites curſus tenuemve cogitantis aera, tardare alas; veſtigia inſtruere, et in ſemitam ducere calcandam; qualemque meſſem colligit, quoad veritatis firmaeque ſpeciei jura condere,

vel

vel dimovere, philoſopho atque medico unice agendum eſt.

Praemissa praemittenda erant: Alioqui, conamina noſtra, in praeſenti ardua, temeritatem impetumque juvenilem olerent. Sane molimen de febris cauſis conſcribendi, larvam induens ventoſam, non popularem, ſed graviorem theoriae de limite trutinam praefixam flagitarit.

Separatio Cauſarum cujuſque morbi ſecundum Proximam et Remotas conſtat: Atque, utpote univerſa, juſtaque, in febribus haud minus obtinet. Nulla itaque verborum mora, eadem in uſum noſtrum capita ſtatuimus.

DE PROXIMA FEBRIS CAUSA.

Etsi, quicunque proximam febris cauſam aſſignandi conatus merae hypotheſes merito habeantur, plurimi hac de re auctores nullas voces dubias produnt: In febrili vero indole exponenda prompti ſunt, ſuaſque rationes maxime venerantur. Hinc quota theoriarum cohors medico incubuit

cubuit orbi! Illarum vero quaſdam veteres, falſas, et iniquas, conſilio propter injuriam medicinae factam honeſto evertendi, aliamque ſuperſtruendi gratia, neceſſe habemus aggredi: Eoque nobis eſt alacrius; quippe quae apud nullos maxime adhuc non honorantur. Praecavendum vero ſemper eſt, fines diſſertatiunculae aequos, nullam plenum abſolvendi opus, ſolummodo pro generali objiciendi, concedere libertatem, eaque tali, prout propoſito noſtro optime favebit, nos eſſe uſuros.

Primo loco, in medium fertur hypotheſis quaedam humoribus ſacrata; fluida nempe viſcida canales corporis minores obſtruere, atque hinc cordis actionem exſtimulare. Quae vero hoc lentum ſolito majus et copioſius coarguunt documenta, ſanguinem quia in typho craſin hujuſmodi ne aliquam prae ſe ferre, potius omnino adverſam, compertum ſit, ſedulo conquirimus. Anne opinantur, ſanguinem in ſynocha magis ad denſitatem premi, pro reſponſo ſufficere? Cum autem ratione futili, ſiquidem hunc effectum, ab expoſitione alteri maxime analogo ne quidem ullatenus reſpondente, evolvere quaeras, uſus fueris;

pariter

pariter ſynocham typho in plurimis rebus eſſentialibus conſimillimam, robore aegri praecipue diverſam, majori fluidorum craſſitiei, quacum hic connaſci nequit, abſurdum eſſet, referre: Atque eo minus, quamobrem haud infrequenter ſanguis nedum denſior apud ſynocham contigerit, probabilitate gaudet. Initio, ipſi haec viſcoſitas, quae tunc temporis nulla eſt, prout ex V. S. conſtabit, adeſſe debet, effectum creare aſſignatum. Praeterquam, extrema vaſa, ineunte febre, quando eorundem pallor ſuperficialium lateraque collapſa, fluida tenuiores circulationis agros admodum deſeruiſſe, atque alveo in interiore ſe condidiſſe, commonſtrant, obſerari fides mea refragatur.

Theoria haec, acriter diſputanda, quod ad ſyſtema nervoſum, febris domicilium baſimque, ſicut argumentis Illuſtr. V. Swieten probandum eſt, nequaquam attineat, eo minus clareſcit.

Materia morbida gigni, atque eadem cocta et eliminata, abigi febres, ſuſtinuerunt auctores plures. Materiae ſenſus morbidae, mihi, neque forſan alteri, haud lucido intelligitur: Ab hac utcunque miaſmata paludum atque effluvia humana, quorum praeclariſſimi foetus ſunt febres, quaeque fluidorum craſi, maxima pro parte, nihil criminis

perpetrant, ſeponenda ſunt. Theoriae adminiculo utuntur, hunc malum humorem, ſudorum ope, vel abſceſſus, ſive ſanguinis naribus demiſſi, quales evacuationes ſaepe criſi defunguntur, detruſum, febrem ſimul eripere.

Rheumatismus, calore gravi, nulla depravante vi, ſe ſimul inſinuando, inficiente ſanguinem, frigore excepto natus eſt. Cum itaque conſtiterit generales plenoſque ſudores, quos praeſtantiſſimus Doveri pulvis, feliciſſima ſecundum Culleniana praecepta adhibitus, elicuerit, ſalutem dare, morbumque, nullum materialem, auferre, febrilis affectus per ſudores, morbida materia ne ulla tunc exeunte, certe poteſt amoliri. Paroxyſmorum longus ordo, febri intermittenti nullam exhibens medelam, conglomeretur; ſed maxime veroſimile ſit, fluidum depravatum, modo praeſens, in tot tamque largis ſudorum rivis, qui unumquemque ſubſecuti fuerint paroxyſmum, effluere potuiſſe: Atque, quum febris non deſierit, materiam vitioſam adfuiſſe, merito denegamus. Nullo modo theoria haec corticis peruviani, qui, pulcherrimam peragens medelam, nil demit ſyſtemati, neque ullum humorum conficit diſpendium, ef-

fec-

fectibus eſt accongrua. Anne naribus defluentis ſanguinis ſaepe vix quinquaginta guttulae, quando ſaluberrimam criſim per ſe praeſagiunt, vel conſtituunt, a caetera fluidorum mole particulas abſtrahunt inimicas, coarctant, deque corpore plorant? Atque, ſi iſti morbidae materiae effugio aſſentiri ſupra nolimus, abſceſſum, quod nequeat haemorrhagia, poſſe, ne pronior ſit fides.

Materiae varioloſae foras egreſſum eruptionis febrem abegiſſe, haud licet ratiocinari: Quod argumentum, eruptione (de diſtinctis tantummodo intelligitur) tertio die evidenter facta, ac febre non niſi ad quintum ceſſante, recuſat tempus. Totumque per variolae decurſum, res variae, largam varioloſae materiae copiam corporeis remanere fluidis, ſuſtentant, ratumque faciunt.

Pro argumento validiſſimo denuntiant, proprios febri curſus ad coctionis morbidi humoris propoſitum definiri, neque, niſi finitis, materiem cum morbo expelli. Procul vero analogia aberrat proloqui, humoris alicujus ~~alieni~~ mutationem ſpatium definitum poſtulare; nihil enim effuſi liquidi hanc illamve, quoad durationem, fit purulentum, aliaſve ſubit qualitates. Eſtne credendum, quovis matutino die ſi frueretur critico,

tico, hanc materiam, pariter ac ſeniore, e. g. quartodecimo, ne quidem relegatum iri. Coctionis vero exiſtentiae, quam nemo obſervarit, quae verbum audit reſonans, neque ab interprete (exemplo meo non loquor) evolvendum, aſſentiri dolet: Atque porro coctionem, ut intelligunt omnes, materiam eliminando aptare poſſe, dubii plurimum urget. In catarrho, in lue venerea, quando craſſior lentuſque fit tenuis latex, coctio adeſſe dicitur: Certe vero hujuſmodi mutatio materiam morbidam emunctoria per tenuiſſima evadere ne quidem juvaret.

Qua ratione theoria nobiſmet grata, cui proxime accingimus, caput ſuum efferet, caeterae honori decident: Utcunque vero humana ſors verſatur, hypotheſios ope noſtrae melius explicatu priorum argumenta opinionum veniunt.

Duo ſtadia, quibus, huic frigoris, illi caloris, eſt nomen, per ſe diverſaſque facies inſignia, febrem dividere unamquamque, probe comperitur. Lucidiſſimum frigoris ſtadii diſcrimen maxime pendet, frigoris perceptione, atque minimo ſyſtematis, vix agentis, robore; ſtadii caloris, aeſtu admodum adaucto, atque renitentia ſyſtematis in faſtigium evecta.

Fides

Fides primum locum obtinendi aeterna, frigoris a ſtadio ſervata, primum remotarum cauſarum conatum hoc ſtadium excudere velle, atque poſſe, quam lucido denotat. Ni etenim abſurdum ſupponere procedamus, eſt, Remotas vel frigus vel calorem progignere: Quando haec ambo illas, quae effectibus omnino contrariis originem condonare nequeunt, pro cauſa haud agnoſcent. Remotarum vero neceſſaria ſoboles eſt frigoris ſtadium, quippe in perpetuum praegreditur. Nulla itaque febrilis caloris, remotis ab cauſis exorientis, ſuſpicio remanet: Hiſque primarium febris ſtadium tantummodo arrogandum eſſe, conſtat.

Res ideo, frigoris comites, originem caloris ad exſcrutandam, luſtrare proni ſumus; neque quidem alio inveſtigationis fonte potimur. Cauſam vero proximam ſtadii caloris, unde febris omniſque ejus indoles conſtituitur, ad perficiendam, quaſvis febris partes attingere conducet. Hac atque in opera exequenda, ſiquidem cuilibet ſymptomatum, quae virtutibus poſteris ſub capitibus requiſitis quadrant, nexui occurramus, efficientem ſtadii caloris cauſam hiſce ſymptomatis, aut eorum cauſae referre, nobis maxime rationale videtur.

I.

I. Postulatur, initio febris ſymptomata adeſſe, neque quovis illo tempore deſtituere.

Multiplicia diverſaque ſymptomata quaecunque febris tempora accomitantur: Omnia tamen, ut variam obtinere indolem neceſſe eſt, ad proximam cauſam conferre ſtabiliendam non poſſunt. Quaedam accidentalia ſunt, altera ſymptomatum ſunt ſymptomata; alia ad febrem eſſentialiter pertinere videantur, et quidem comites inſeparabiles ſemper adſint: Characteribus tamen ſupra definitis reſpondere omnino nequeant, neque dando effectui quodam tenus pares ſint. Omnia itaque ſymptomata, febri utcunque frequentia, recenſendi, nullam eſſe oſtenditur neceſſitatem. Ambages vero longas evadere, coeptamque inquiſitionem breviter arripere, laudabile, maximeque commodum erit. Ad ea igitur ſymptomata propoſito inſervientia enarranda ſolummodo annitimur; neque caetera, ni quamobrem haud ſufficere nobiſmet comprobavimus, praeterimus. Quae amplectimur, ſenſibus minus lucida exſtare videantur: Hoc tamen conſuetudini Naturae, cujus arcana plerumque latent, at effectus effulgent, haud incongruum ſit.

Symptomata, quae ſub hoc capite memora-

re

re volumus, in aliquem ordinem, non dicimus plurimum ad commodi, poſſunt redigi: Quae, vaſa devinciri atque coarctari; corporis inde molem minui; leviuſcula, tremebunda, algida convulſione ſuccuti, conteſtantur. Haud neceſſe eſt eorum indolem cauſamque perpendere; tibi enim, oſcitanter obiterque cogitanti, protinus apparebit, ſpaſmodico (vel ſenſum noſtrum elucidare, tetano vaſorum fibras occupante) pendere effectu. De ſymptomatis initio febris praeſentibus nunc agimus; atque hujus ſtadii plurima ad ordinem ſupra relatum confirmandum prolaturi ſumus. Qui loci, rore liquido humectante, molles fierent, duriuſculi, ſcabrique, adventante febre, areſcunt. Os atque fauces viſcida et ſitibunda aegro percipiuntur. Venae in cute exſurgentes detumeſcunt; et arteriae, lumine contracto, graciles ſunt. In frigido intermittentis ſtadio ſymptomata haec multo diutius, ideo manifeſtius, conſpiciuntur; nec non ſunt grandiores. Saepe abſceſſus, qui liberale pus pro more ſolito expedirent, exhalantia itinera ſicci obſerarunt. Eo ad magnitudinis minus deciderint digiti, quod annuli, quos antea premerent, dilapſi fuerint. Ambitus cutis retrocedit, cutemque anſerinam viſui objiciens corrugatur;

tur; atque corpus deficit. Rigor atque tremor, ſimul cum frigoris ſtadio, in continuum invadunt; atque pariter, ac hoc, neceſſarii et individui a febre deſiderantur. Initium morbi ſeduliſſime affectantur; at, in decurſu, quando quid novi adjicitur febri, apparent. Theoriam, quum haud raro hi, febrili vexante aeſtu, inſiliunt, a tremulo frigore corpus agitante fruſtra eſt repetere. Quam plurima horum, ni omnia, ſymptomata ſtadio frigoris certiſſimi ſunt comites; neque uſquam medici, modo adſit, vix aegrorum, notitiam evadent.

II. Decursui toti febris ſymptomata continuari.

Rigor atque tremores, quando calor ad plenum adoleverit orbem, evaneſcunt: Ne ullo tamen pede retro verſo, ſpaſmodica affectio fit minor, quin intenſior, et admodum confirmata. Incrementum, ſpaſmique pertinacia innoteſcit, quod ſanguinis impetus in apicem elatus objacentia obſtacula haud dimovet, ſpaſmodicas compedes non ſolvit. Cava corporis omnigena, quae in valetudine probe humectata fuerint, arctius vinciuntur, et aridiſſima duraque reperiuntur. Sitis, oris ac interni ſiccitas, infelix aegro tormentum agunt. Alvus eximie tarda lentaque eſt; quippe nervoſa

nervoſa catena tenues latices, quibus ad fluorem foecibus, atque itineris oleoſitatem concilianda opus foret, vaſis exhalatoriis egredi praevenit. Cutis tangenti areſcit, atque duriuſcula eſt; fluida enim ſuperficiem emollientia, eamque ita lubricam ſervantia, per ſolitos poros parum tranſeunt. Arteriae vinculo quodam, etiamſi turgidulae, adhuc corripiuntur. De lato ſpaſmodicae ſtricturae dominio, deque mira ejus amplitudine, quando lingua inter febrem aſpecta perpenſaque erit, recte concipere ediſcas: Saepe, ne humidi guttula praeſens a ſanitate deflexionem admonet; ſquamae, pro circuitus detenti teſtimonio, quaſi gangraenoſae decidunt; neque externa lingua tantummodo, interna autem ejus maſſa quoque, durior ſtrictiorque manifeſtatur; ſingula vaſa denique compede circumcinguntur. Copia ſpaſmi larga ſymptomatis illis, quae morbum quamplurimum accendunt, atque in periculum conjiciunt, intereſſe videtur; plerique ita ejus effectus, v. g. fragilis ſiccaque lingua, pellucidior urina, ſubſultus tendinum, aves infauſtas ducunt. In ultima vitae lucta, ſudor gelidus haud perraro prorumpit, cordis vi tum fatiſcente, neque ad ſuperficiem appellente, haud proritandus. Grande laticis frigus a ſanguine, cui neceſſarius adhuc

remanebit calor, circumlato proxime proveniſſe abnuit. Conamini igitur ſtricturae vehementi, talis theoria ſudoris, cujus materia humor ſit prius ſtagnans, neceſſario argumento referenda eſt. Inter moriendum, cum ſpaſmi vis tanta ſit, an ab illo, extrema cerebri vaſa fixo vinculo corripiente, mors provenit? Strictura omnia vaſa, extrema maxime occupat: Phaenomena itaque, et functiones, quae vaſorum motibus minorum atque officiis peraguntur, admodum afficiet, atque perturbabit. In iiſdem parvis ſanguinis impetus nervoſo ſolido maxime neceſſarius eſt, et robur tonumque totius ſyſtematis ſuſtinet. Minuſculi itaque canales, ſpaſmodica compede prehenſi, requiſitum impetum communicare nequeunt; unde vigor et ſyſtematis officia vitiatum veniunt, immo peſſumdantur. Hanc febrilis debilitatis, dummodo putredini non ſit adjuncta, explicationem offerre volo. Verum eſt, impetum ſanguinis in febre eſſe ſaepe validiorem, atque magis velocem; hunc tamen majoribus in vaſis ſpaſmodica minorum affectione* congeri, atque ſic cor, dum tenues canales fortiter reſiſtunt, exſtimulare, valde probabile eſt. Sanguis, obſtaculo hoc remoto, ſolitum iter petet: Nervoſum autem

* Hoc probatur forſan, quum aegro, prius ſanguine longe non turgenti, pulſus inter febrem plethoricus validuſque exſtiterit, neque, ni limitibus a ſolitis in minus contractis, exoriri poterit.

tem ſolidum, aliquamdiu abhinc miti vibratum ictu, quoque tenerius, et magis ſenſibile, ſanum impetum pati aliquando nequeat; atque hic, ſicut cranii pars in cerebrum adacta, compreſſionem quandam, exinde coma, inducat. Sic, in febre, coma ſaepe maxime ſalutare eſt; et bene, quod impetus ſanguinis, ablato ſpaſmo, hunc gignat effectum, et quod ipſum ſpaſmi ſyſtemate ablegati optimum ſit indicium, explicatur.

Aliqua nihilominus repagula in ſpaſmum, utpote nullum febris aſſiduum comitem, adurgent: Juges expeditoſque, inclamant, ſudores, diarrhoeam, &c. quae quaſi depulſi, atque nedum agentis ſpaſmi, ſint validi teſtes, ſaepe aſſociari febribus. Reſponſa vero ſatis clara, et facientia, prout ſpes nobis effulget, depromptum imus.

A. Sudores, quinetiam uberes, ſtricturaque ſpaſmodica in ſyſtemate coire poſſunt; neque eo uſque, pro adverſa natura ſe invicem abigere, exardeſcunt. Quotquot enim exempla pulſus rigidiſſimi contractique cum ſudoribus in cutem liberaliter profuſis occurrunt: His atque niſi famulantibus criſi, nonne illae arteriarum cutiſque conditiones plerumque ſunt ſocii? Spaſmus, ſtimulando, copiam fluidorum auctam alliciat, atque pertrahat, neque, tranſitu quodam conceſſo, ex neceſſitate praeripiatur. Haud abſimiliter uberrima urina, fonti aemula pellucido, hyſterica

ſtrictura

ſtrictura renum ſecernentia vaſcula irritante, promanat. Exemplo autem in hoc, copia fluidi larga vaſa ſpaſmo occupata perfluit, neque expedit.

B. QUUM conſtrictio in univerſa vaſorum amplitudine regnat, huic quantumvis, alterive parti, v. g. alvo vel linguae fuerit erepta, tantum loci et poteſtatis, quantum effectibus requiſitum ſit, remaneat. Sic, maxima pro parte, et cutis ſicciſſima, et humida lingua, carcerùm febris decurſui ſimul conjunguntur.

C. VEHEMENS fluidorum impetus vaſa diſtrahat, atque interno, inſuperabili, obſtaculo diſtendat: Vi tamen ſpaſmodicae, cui eadem energia, niſi ex ſtimulo acrius exaeſtuans, reſtabit, deſtruendae impar eſt. Strictionis hujuſmodi cauſa injuriae atque violentiae non cedit; neque aliter quam maxillae triſmo conglutinatae, quae manibus diductae aſperis, poſt, obice amoto, alliduntur, et nihilo laxius colligantur.

III. FEBREM, converſis in fugam ſymptomatis, eximi.

FEBRES, diarrhoea, narium effluxu ſanguinis, ſudore liberali incidentibus, criſimque ſaluberrimam, prout caeteris ſignis confirmanda eſt, praeſtantibus, decedunt. Cauſa vero talium ſymptomatum,

matum, criſeos quando vices peragunt, elaqueato ſpaſmo bonum aequumque eſt tribuere. Praeclariſſimum vero quod exemplum hanc in partem maxime ſpectat, paroxyſmus eſt intermittentis largiter ſudando liberatus. Febris, ſpaſmo impetu accenſi ſanguinis, majore, exardebat: Spaſmo decreſcente, deferveſcit; denique nulla. Quando profuſus ſudor finem non imponit febri, huic ſubſtratum, concludas, ſpaſmum, quo etenim recte dilapſo, intermittentis paroxyſmus ad unguem exulat, haud ſolutum perperam procedere. Paroxyſmorum intermittentis longius longiuſque durantium, denique omnino ſe in continuam tranſdentium febris formam expoſitio, ſtricturae ſpaſmodicae hiſce accommodatae aſſignata, pulchra eſt juſtaque: Atque intermittentis, typique continui, diverſam ſpaſmodicam virtutem indigitat. Continuus typus ex obſtaculis ſpaſmo objacentibus reſolvendo pendeat; conſtans ideo tenor adſciſcitur. Hujus varietates duae, quas Tonicum atque Atonicum ſtatum nuncupare convenit, reperiuntur: Et quorum hic in typho, ille in ſynocha, regnat. Culleni gloria, moribus, doctrina, atque ingenio faeliciſſimi, optima in Noſologia, quem, uti Poeta cecinit,

——Tu

———Tu pabula
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam:
Tu modo texebas varios per cornua flores:
Nunc eques in tergo reſidens———
Mollia ——————— fraenabas ora capiſtris.

propter Praeceptoris virtutes, nos commendamus, ſynochae, et typhi, febris quoque, definitionem diſertiſſimam callidiſſimamque habebis. Diatheſis tonica vaſculorum fibrarum motricium contractiliore validaque vi denotatur. Vaſorum actio, etiamſi hoc modo in faſtigium evehatur, ſanguiniſque impetus quoque, ſtrictura tamen ſpaſmodica increſcit, vireſque majores ſimili ex ratione acquirit. Vaſa itaque potentius revincta, impetu ſanguinis adaucto, qui praeſtantiſſimum remedium, maximique eſt momenti ad ſpaſmum reſolvendum, majora redduntur, atque exinde febrem protrahunt. In typho, ſpaſmus, cauſas ob vim tonicam deſtruentes, minus firmatur; ſanguinis vero impetus ſimiliter langueſcit, neque ſpaſmum ad expediendum ſatis aſſurgere poſſit: Febris unde continuo progreditur tramite. Indoles intermittentis conſtrictione, quae ſub aequa cedendi conditione eſt, ſanguinis atque impetu accommodato, conſtat: Spaſmus vero, ob noſtrum ſyſtema ad conſuetudinem maxime proclive fortaſſis, periodo invariabili, ſicut morbis aliis ſpaſmodicis commune eſt, reverti gaudet.

IV.

IV. Symptomata momento atque poteſtate effectui pari pollere.

Quam graviſſime, tot exhalantium vaſorum millibus, in valetudine liberis expeditiſque, omnino concluſis, affectum iri, quam graviſſime laturum eſſe ſyſtema, protinus manifeſtatur. Eo ſociali, atque inſigni corporis humani, cujus aliqua pars gravi valetudine allaborans, alteras communionem habere, et vel moleſtias ſubire graves, vel auxilio ſuccurrere praeſtantiſſimo, pertrahit, jure, in motus turbaſque, propter ſtricturae loci amplitudinem, univerſamque ejus praeſentiam, vehementiſſima, totum ciebitur ſyſtema. Praeterquam tumultus eo quamplurimum excitabitur; quamobrem, a catena vaſis, praecipue minoribus, circumcincta, canales curſuſque ſanguinis ſoliti in anguſtias admodum premuntur; quamobrem hinc vitalium cuidam muniorum coryphaeo obex quam adverſus ponitur. Siquidem phlegmone cor et arterias in tantum excitare, phlegmaſiam ad aliquando progenerandam, valet: Qua potiori ratione, quanto majore neceſſitate, ob cauſam adeo univerſam atque adeo acrem, maxime debacchatura eſſe cor et arterias, eliquet.

Characterum conſiderationi nunc imponere finem tempus, noſtrique limites admonent: Atque,

que, in vocibus paucis, doctrinam noſtram applicare volumus, dicendo, quod vis ſpaſmodica, per virtutem in capite IV. expoſitam, frigoris ſtadium in illud caloris converterit, atque hac opera renitentiam febrilem conſtituerit. Sic enim circuitus momentum, cujus gradum ſemper conſequitur corporis calor, in ſummum erit adauctum.

Opinionem hanc neque theoriae armis potius, quam re vera, atque obſervantia, ſuſtinemus. Praeludenti typho languor, variaque debilitas, conſtat, nulla febre accedente, donec horror, et tremores, ſpaſmo tribuendi, tenues exorti ſint; quos continuo brevis calor atque renitentia excipit: Neque, niſi poſt hos iterum iterumque revertentes, pariterque exceptos, conſolidetur typhus. In tradito ſequenti caſu, ſpaſmo febrem deberi praeclariſſime obſerves, atque, niſi labores noſtri odio tibi ſunt, pro argumento crucis amplecti velis. Lucido innoteſcet, ſpaſmum, loco unico coeptum, per ſyſtema totum eſſe tranſditum. Gonorrhoea juveni ab impura venere proveniebat, gravique penis, revertente, accomitata ſtrictura: Quae, quando vehementer exacerbaret, effectus ſequentes in medium proferebat. Paroxyſmo ſtricturae conſtituto, aeger omnia intermittentis,

tentis ipſius phaenomena exhibuit; pallor, frigora, et tremores afflixerunt: Solito more excepit calor: Æebris copioſe ſudando abiit ſoluta.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Facies duplex febri conſtat. Una paroxyſmis, an acerbitate ſymptomatum retuſa, vel ceſſatione omnino tota interruptis; altera ſymptomatis continuo adſtantibus, neque unquam evanidis, conficitur. Prima Intermittens, ſecunda Continuus nuncupatur typhus. Cauſas occaſionales utrique aſſignare conabimur, atque hunc ad finem de iiſdem febris intermittentis agere incipimus.

Veritas inſignis eſt, pulcherrimarum excidio urbium, fortiſſimarum ignava legionum nece, crudeli nautarum fato deflebilis, peculiares terras peſſima valetudine, atque peſtifera intermittentis febris origine inſigniri. Tales etenim terras effugeris, effectus quoque effugeris. Vitia regionum, miſeriarum infelicium fontes, obſervatione diligenti annotata fuiſſe, locoſque, in quibus illa immorantur, indigitari poſſe opinamur. Com-

monſtrandis his itaque tenues noſtros labores ſtatim admovemus. Nocere comperimus,

1mo, Regiones planas, vel humiles, vel depreſſi ſitus, conſtantique humore nunquam vacuas.

2do, Regiones inundationibus nuperrime ſuperinfuſas. Solum, quando retegitur, undaſque evadit reductas, limo coenoque, piſcibus putreſcentibus, variaque illuvie, quam plurimum foedatur. Hujuſmodi proſapiae ſunt fluminum meridionalium ripae, juncis, limo, coenoque obductae, praetervectos nautas graviter tractantes.

3tio, Paludes, ſtagna, et lacunas, modo deſides coenoſaſque aquas contineant. Hoc in exemplo nedum ſupra aquam exſtat ſolum, quamvis aqua, magna utplurimum amplitudine, pauca profunditate, eſt praedita.

Quiddam de his exhalans materiam febris intermittentis progignendae capacem conſtituere, apud omnes conſentitur, atque Miaſmatum Paludoſorum nomine inſignitum fuerit. Miaſmatum vero compoſitionem atque naturam nemo adhuc inveſtigavit; atque hoc efficere res videtur difficillima, forſan impoſſibilis. Nos ultra procedere, quam quaſdam potentias ad productionem miaſmatum plurimum adjuvantis obſervare, nequimus.

mus. Eorundem ad ortum, humoris atque caloris praeſentiam eſſe neceſſariam, novimus; de his itaque orationem inſtituimus. De utroque, an eorum praeſentia poſtuletur, atque an unum citra alterius auxilium ſufficiat, diſquiſitionem dirigere volumus.

HUMORIS itaque ſuccurrentis neceſſitatem commonſtrare, primam argumenti partem facit. Tempeſtas, dicta arida, humido, axe vehementis propiore Solis, exſiccato, tropicis regionibus ſaluberrimam vitam, et intermittentibus immunem ſupplet. Etiam Senegal, coloniarum Britanniae maxime peſtifera, bonae valetudinis ſorte fruitur. Quin ſimul uda ac tempeſtas madorem in terras depluit, aegritudo intermittentis typi infeliciſſima percrebreſcit. Ex hac itaque ſola ratione neceſſarius madidi uſus intelligitur. Editi, acclives, ſicciores loci, febre iſta perraro attentantur: Neque enim omnino vacant regiones hujuſmodi, quamvis infrequens et ſporadica appareat. Inſula in illa minuſcula (Anglice) *Wight*, nullo Anglicano agro minus ſalubri, vicus *Brading* intermittentibus ſcateſcit. Quaeque enim ſaniſſima regio agros febrium capaces conſciverit.

QUÆDAM proxime, an humor penu ſuo miaſmatis ortum ſufficere poſſit, quin, pro

ratione

ratione rei aliter quam maxime ſe habentis, paucula dicenda ſunt. Regiones, in quibus aegritudo hoſpitari gaudebat, rivis aquaque tumentibus latentes, laeta appellit ſanitas ; atque, qui medium mare, non littora, petunt, a miaſmatis ſecuri ſunt, atque horum febrem melius deponunt aggreſſam. Quin ſimplex humor cauſa eſſet potens, in morbi quaſi horreum his locis objecti homines conjicerentur. Quando nulla ſoli portio ab hybernis nimbis eſt immadida, intermittentes ſe occultant, periiſſe viſae. Aliquando hac quoque tempeſtate cognoſcuntur, tum ſaepe autumnales frigore ſuſtentatae ; vel quaedam inſolitae cauſae frequentiam inter hyemem, perraro quidem, excitent. In vicinia Lindi, ſagaciſſimae ejus diligentiae et erga mortales ſtudii honore proſequendi, intermittentes quadam hyeme ingravuere, quin aeſtas fervidiſſima praeiviſſet.

Febrium apud regiones minus calidas intermittentium occurſus, quando illis ſub Sole ſaeviente graſſantibus comparentur, profecto rarus eſt : Ratio itaque in ſuperiore lubentiſſime collocatur aeſtu, cujus vires ad miaſmata incitanda et augenda eſſe praeclaras, hinc agnoſces. In regionibus ſatis ſatiſque ab Æquinoctio diſtantibus, numerum

merum intermittentium calorum gradum conſequi reperimus. Morbos miaſmaticos, quibus Germanica ſuperioris belli caſtra conflictata fuerint, frigore inhibitos fuiſſe, atque calore maxime ſaeviiſſe, ſemper conſtitit. Inſtigato Sirio, ſub menſis Auguſti initio, coeperunt: Primo ſub foliorum occaſu labaſcebant, facto gelu finitae. Inſolito ardore Borealia climata affligente, vehementes mortiferaeque epidemiae illis intermittentibus meridionalibus omnem quoad rationem ſimiles exſtiterunt. Ad haec accedit neceſſitatem caloris ſuccurrentis comprobare, hyemalem fere nullam, quando omnis humidi vis adeſt, liberali vero aeſtui non maritata, eſſe intermittentem.

Calores tamen ſoli febres eas gignere deficiunt; quae etenim in regionibus editis, montanis, ſiccisſque, quantumlibet ardenti aeſtui ſubjectis, fere evanuere. Tempeſtas tropicarum regionum ſicca ibi hoſpitantibus ſanitatem haud laedit, intermittentibus vacans: Atque ratio, ex terra Solis ardoribus arefacta, atque immadida, miaſmatum itaque inopi, patet.

Consilium coeptumque noſtrum, de calore atque humore, abſolvimus: At caeteras res ad efformanda miaſmata concurrentes reſtat comminiſci. Quamvis vero alienum aliquid praeter duas

duas memoratas cauſas accedere veroſimillimum ſit, tamen quid determinare, difficillimum erit. Ab infectis, a vegetabili ſive animali materia putrida, vel argillacea terra, miaſmatum originem fieri, facta hac de re conſtantia ſedulo contemplatus, eſſe probatum, vel modo aliquo oſtenſum, denegare velim. Pro cauſa intermittentium occaſionali nil aliud apponere licebit, neque placet; hunc enim ad miaſmatum fontem intermittentes in univerſum, credo, repetere poſſumus, atque alterius originis conjectura vel ſuſpicio nulla data fuerit.

De illis, quae miaſmatum venenum copiamque adaugent, annotamus,

I. Obices miaſmatis evaſuris, lataque cum atmoſphaera commercio libero mixturis objacentes. Ex his intra ligna concluſis, quot hominum, igni alimentum navibuſve arbores exſcindentium, turmae perierunt! Locis miaſmatum feracibus, atque hominibus quando tamen ligna interceſſerint, tutiſſimum ſanitatis dedere propugnaculum.

II. Quosdam ventos, nempe, Auſtrum Eurumque, intermittentium fautores audire. Ille, quatenus magis calefaciat, aeſtu plerumque ſtipatus: Hic, quatenus magis copioſos vapores miaſmatum

ſedibus

ſedibus eliciat, opinionem de iis conceptam merentur.

III. Vel vim caloris, vel vim humidi, alteri larga copia adjunctam, plurimum efficere. Diuturnus, aeriſque ſicci praecalidus ſtatus, intermittentium epidemiam in his regionibus, quarum fons humidi inexhauſtus permanet, in frequentiam atque furores maximos effert. Idem, largis nimbis iniquo validoque aeſtu exceptis, accidit. Lenes utcunque imbreſque frequentes epidemiam minuunt, et maxime compeſcunt.

IV. Miasmatum virus, copiamque, a cauſis quae originem excuderint, aliiſque forſan ſenſui haud conſtantibus, acui et augeri poſſe.

V. Materias animalium, vel piſcium, vel rerum aliarum, putridas, et ſaepe retrocedentibus ab aquis relictas, ſymbolam conferre largam.

Nulla mente cauſas praediſponentes febrium proprias attingendi, prorſus vero miaſmatum receptui commodas quaſdam res, ad capita compendii gratia redigendas, memorandi voluntate nunc procedimus.

1mo, In homines inaſſuetos maxima poteſtas, atque actio facillima miaſmatis datur. Hinc advenis clades obveniunt inſignes: Magis rarae et mitiores quoque incolis.

2do,

2do, Recenseatur peſſimus domicilii, an udi, an miaſmatum origini propius exſtructi, an miaſmati afflato objacentis patulique, an flatu aereque libero haud ſatis purgati ſitus.

3tio, Plurimum praediſponit, ſomnum, corpus etſi aptiſſimo veſtium tegmine muniatur, in vicinia horum qualibet captare.

4to, Magni intereſt, aera nocturnum nullo Sole, ſive praeterlapſo, ſive nondum orto, luſtratum evitare.

5to, Meridionalibus regionibus inaſſuetos ad praediſponentes cauſas (proprio loco viſendas) ſpectare magni momenti eſt opus; quippe contra has minuſcula peccata graviter plectuntur.

Causas continui febrium typi occaſionales attingere, proxime devenimus. Effluvia humana, aliquas occaſiones nacta, latam typhoidei generis febribus, quibus typi tenor indeſinenter perſtat, ſcaturiginem praebent. Illa adeo non intermittentem excitant typum, ut accedentem deleant, ſuumque, teſte Hungarico morbo ex utrinque compoſito, in exemplum transferant. Hoc, effluvia prius frequentia denſaque concludi, remora atque corruptela infici, quo effectus edant, enixe poſtulatur.

Sta-

Status rerum, ſupra memoratus, noſocomiis multitudine aegrorum refertis maxime peculiaris eſt; atque apud exercitus, quorum milites, caſtrenſibus morbis vaſtati, in ſummas loci anguſtias conſtipantur, inſigniter obtinet. Hic vero notandum eſt, effluvia ab corporibus exoriri aegris. Alius fons ab effluviis plurimorum hominum, ſanitate haud aberrantium, coarctatis provenit. Ne attamen haec pro cauſa uſurpandi partibus inopinanter atque ſtudioſe aſſentiamur, acriter obſtant:

I. Singula exempla, quae in libro illuſtr. Pringle ſatis plena, et perſcripta ſunt, parum dare argumenti; quippe vel apud multitudinem aegritudo ſimul adeſſet, vel paululum ante, contagione, quae tempore opportuno ſuſcitaretur, veroſimillime derelicta, praegrederetur.

II. Lindii exempla, neque ipſius hoc non monentis, ad rem attinentia, quando ad amuſſim perpendas, neque dubia pro certis admittas, modo bina et ſolitaria repertum iri: Atque his efficax praediſpoſitio juncta feciſſet aliquam priſtinam reviviſcere contagionem, cui nautae, in ſupra exemplis, prae tempeſtate gravi ſub foris plurimum verſati, magis ob locum paterent.

III. Siquidem ſebris apud multitudinem virorum, qui, republica Britannica periclitante, naves miniſtrare coacti fuerunt, in navigii penetralibus ad tempus confertam, ſaepius graſſatur, aegritudinem, haud negari, praeiiſſe, neque cognitum eſſe, videri, an contagium, hoc modo recalefactum, non latuerit: Quod ſuſpicari in navigiis, quae hos, fere ſervos, tranſvehunt, veteribus, aegritudine priore probabiliter infeſtis, foedis, neſciiſque munditiei, omni ratione licebit.

IV. Febres loca, quae effluviorum nares etiam labe teterrima percellentium ſatis larga copia complet, quamplurima non infeſtare.

His rationibus dignitatem ſuam ne omnem conſenſum noſtrum annuere convenit. In binis etenim Lindii, ipſius hujuſce rei animadverſioni intenti, exemplis, de nulla praevia aegritudine, vel contagio, conſtabat. Febrem naves virorum ad mare coactorum onerarias aliquando vexare, neque, has aegritudine a priore tempore tentatas fuiſſe, commemorant. Opinioni ne minimum momenti acceſſerit, quod Illuſtr. Pringle ex auctoritate ediderit: "I have obſerved the ſame ſort "of fever to ariſe in full and crouded barracks, "and in tranſport-ſhips, when filled beyond a "due number, and detained long by contrary "winds,

"winds, or when the men have been long kept "at ſea under cloſe hatches, in ſtormy weather." Quamobrem ſaniſſimorum effluvia hominum accumulata, ſummamque corruptelam ſubeuntia, nequeant, quid aegrorum effluvia ſub iiſdem conditionibus poſſint.

Consilio annotandi, quae venenum et quantitatem effluviorum augeant, capita ſequentia ad ordinem aliquem redegimus.

1mo, Vires effluviorum ſuae more productionis majores, et magis vehementes, conficiantur. Quo multitudo frequentior ſit, quo morbi noſocomii ſeveriores, atque magis calidi, quo minus perflatur concluſus aer, eaſdem rationes conſequatur virus.

2do, Adhæsio cuilibet idoneae rei diuturna veneni effluviorum malitiam maxime intendit. Stragula, induſia, aliaeve veſtes, quibus incubuerit aeger, horrendi fuerint fomites.

3tio, Major munditiei, ſordium, rerumque infectarum, aliaſve putreſcentium, incuria viro plurimum proficiet.

Quasdam effluviorum qualitates proprias, en! proxime offerre noſtra eſt voluntas.

I. Nulla volatili natura praedita ſunt; id eſt, neque lati nec celeris per aerem capacia tranſcurſus.

ſus. Sic in una nave, dum caetera claſſis, ſocia, optime ſaneſcit, ſaepe ſolummodo graſſantur.

II. Rerum, quibus applicantur, tenaciſſima diuturne permanent: Atque inde corpora ad altera volatu ſummo per contactum promanant. Singulus vir, qui noxia effluvia in veſtibus, aut alioqui, ſuſceperit, febrem late euntem navi diſpertierit.

III. Lind commemorat ſcorbuticum invadendi eſſe tardiora: Tamen non traditur, illum aggreſſu mitiora eſſe.

De frigore, an febres excitet, atque occaſionalis cauſa habenda, veniendum eſt dicere. Initio quia tot febrium interſit, multumque momenti his tribuit, cauſam occaſionalem fieri poſſe, frequentius tamen praediſponere, reputemus. Sua ſedativa vi, ſaepe ſimul aliquo modo tonica, ad ſynocham, apud quam exortam adeo multum verſatum fuerit, comparandam apte inſtruitur: Atque, ni fallor, hiſce in regionibus ſynocham ad frigus relegare ſaepe poſſumus. Cum obvium ſit, frigus rheumatiſmi principem eſſe cauſam, quamobrem non pariter, conſimillimum morbum, ſynocham facit? Quum intenſiſſimo frigori objectum corpus nullam in febrem plerumque incidit, poſſe febrem excitare dubitetur. At alias occaſionales

occaſionales cauſas, niſi praediſpoſitio adjuvet, ſaepe non agere, certum eſt: Frigus itaque citra hanc illis caeteris nihilo plus valebit. Frigus igitur pro ſynochae cauſa merito recenſeri opinamur: Iſtum tamen ad effectum efficaciſſima praediſpoſitio adeſſe ſupponatur; atque, ſi ſumma ſyſtematis infirmitas concurrerit, typhus gigni poſſit.

Quaestio ſummi momenti conſideranda venit, nempe, An aliae typhi cauſae dantur? Febrem hanc, quacumque diligentia adhibita, fontibus ſupra poſitis ſemper referri non poſſe, confitemur: Unicam itaque eſſe originem, ante memoratam, aſſerere eſt inſani. Cum autem varias venenatas peſtiferaſque materias ubique adeſſe, et quicquid, quod ſpaſmum febrilem inducere poſſit, febrem facere, reputemus, alios fontes nobis ignotos exiſtere probabile eſt. Verum tamen eſt, plurimas febres ab effluviis humanis repeti poſſe, atque, ni indagatio tam ardua foret, forſan plures. Quum enim effluvia adeo arcte corpora teneant; tam celeriter alia ſibi admota petant; quum morbis ſpecie non contagioſis nata ſint, atque remora, aliiſve auxiliis, ad virus peſtiferum evehantur, plurima occaſio haec recipiendi datur.

Aliæ febris cauſae ab auctoribus narrantur, quarum principes ſub proprioribus ſingularibus Boerhaavii cauſis, atque ſub plethorica, nauſeativa, a calore, lactea, menſtrua Sauvageſii Ephemera, comperiendae ſunt. Cum autem ſymptomaticam, nullam propriam, excitent febrem, earum conſiderationem praetermittimus.

Quomodo Occaſionales agunt?

Ad hanc perficiendam inquiſitionem, quatenus in noſtrum ſyſtema ſpaſmodicam, ſedativam, et ſepticam potentiam continent, dicemus. Cum ſpaſmus, etiamſi eſſe proximam cauſam deneges, per febrem adeo late regnet, quatuorque capitibus primo recenſitis tam probe reſpondeat, occaſionales cauſas vim gerere ſpaſmodicam dubitare ne quidem datur. In toto febris decurſu, eſſe ſedativam vim, ab omnibus concedetur: Hanc, ante tamen quam occaſionalibus cauſis immediate agentibus aſſignes, penſitare, an effectus ſpaſmodicae ſit potentiae, convenit. Spaſmodicum vinculum omnia extrema vaſa occupare probatum fuerit; atque exinde, medullare cerebri et muſculorum ſolidum impetu atque motibus ad vigorem praeſtandum, tonumque totius ſyſtematis excitandum

excitandum neceſſariis deſtitui, ſequitur. Debilitatem febrilem hoc in modo maxime oriri, aſſerere fere poſſumus. Quando enim ſpaſmus febris in paroxyſmo intermittentis decedat, prout ſymptomatis judicandum, pari ratione robur aegro redire, atque infirmitatem evaneſcere comperimus: Quin miaſmata neceſſaria ſedativa vi pollerent, certe inter paroxyſmos, ſaltem poſt primum, vel ſecundum, aeger infirmatus ſemper remaneret. Cauſas tamen occaſionales ſedativam vim ſaepe gerere, ne quidem denegare volumus; tumque plurimum, quando illis ſeptica indoles condonetur. Quoad ſepticam miaſmatum naturam, non videtur neceſſaria requiri; pleriſque enim intermittentibus nulla labes putrida intereſt. Septica itaque qualitas, ne peculiaris, at modo accidens, miaſmatis aſſignetur: Atque fere ſemper idem de effluviis humanis affirmari poſſit. Res quaedam, miaſmatum, &c. origini praeſentes, unde generalis epidemia putridis ſymptomatis ſtipetur, conjungi poſſunt. Aliquando quaedam corporis humorum indoles eo modo, ut putreſcentia, alias non oritura, naſcatur, cum occaſionalibus cauſis conjuret; et quidem tali theoria flavam explicamus febrem, quae, Indiae Occidentali frequens, ſane remit-

tens

tens eſt: Quin advenas, vel regionem, inuſitato quidem, et forſan ab aliqua ibi corporum epidemica mutatione, totam unice aggrediatur. Quando autem peculiares habitus, quales ſupra, attentet, miaſmata vulgarem febrem, habitum flavedinem gignere, deducimus.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Aliqui apud contagionem arctiſſime verſati fuerunt, atque epidemicis morbis fortiter reſtitere: Saepe vero, quando iidem in cauſas praediſponentes inciderint, commune malum paſſi fuerunt. Homines ſanitate illibati loca reliquere contagioſa, atque poſt, ad plurimorum mille paſſuum diſtantiam, et diebus haud paucis intermiſſis, quum acriore certamine Baccho libarent, vel aliunde magnopere praediſponerentur, febre contagioni ánte derelictae propria correpti fuerint. Momentum itaque praediſponentium, ut occaſionales cauſas adjuvantium, non enim febrem illae, ſi frigus e medio tollas, gignere ſuſpicantur, apparet. Securitas, corporiſque tutamen, in quodam vigore conſtitui videtur: Difficile

Difficile nihilominus eſt, qualis vigor ſit, cognoſcere, vel exprimere verbis. Conſtat utcunque; quamobrem effectus atque indoles praediſponentibus fere omnibus innata infirmare, vireſque proſternere, quaerunt. Annotandum tamen eſt, aliquoties epidemicos morbos juvenes, etiam validos, aggrediendos ſeligere: Quod, heu! nuper bene notum eſt ſtudioſis hujus almae academiae peculiariter obveniſſe. An, quod juvenes, dum plurimum pergraecantur, dum ſtudio, prout noſtris accidit, abutuntur, atque dum variae praediſpoſitioni faveant, magis obnoxii fiunt, hoc expedire, gratiamque negativi conciliare poteſt?

Nunc accingimus ad has praediſponentes cauſas laxius enumerandi opus, neque methodum ſtrictiorem poſſimus adhibere. *a.* Frigus dignitatem primi nominis, cui etenim plurimae febres referri poſſunt, obtinet. Potentia ejus, quando corpus calefactum adipiſcitur, maxime ſaevit. Cum autem plurimum ſedativa ſit, non unicam nocendi facultatem conſciverit; corpori prius languenti, dum quis veſtes madidas non exuit, vel dum aliquis, ex conſueto melius tectus, coelo algido, aut varias ſubeunti vices amictum objecerit leviuſculum, peſti ſummae eſt frigus. *b.* Sedati-

va animi pathemata. Maxime omnium, timor ſuas edit ſtrages: Saepe morbum epidemicum, quem praecavere nimius ſtuduit, aggredi effecit; adeo quod Illuſtr. Vir, fomitem peſtis eſſe timorem, ne virus proprium, aſſeruerit. Timor, quando ne languorem, potius conſtantem cum aliquo robore excitationem adduxerit, tonica vi febrem abigat: Prout locis infeliciſſimo civili bello vaſtatis, hominum quolibet metu atque ardore junctim occupato, melior aliquando obtigerit valetudo. *c.* Animi pathemata accenſa. Hoc ad legem fabricae humanae ſpectat; nempe, ſyſtematis nervoſi accitos motus pari collapſus ratione excipi. *d.* Veneris frequentior uſus. Conſule Diemerbroeckium, juvenes qui Hymenaeum nuperius concelebrarant, peſti maxime fuiſſe obnoxios. *e.* Studia, ſicut librorum, aleae, &c. diuturna, fervida. *f.* Vigiliae, et excubiae iniquae. *g.* Cohibitae evacuationes ſolitae. *h.* Varius intemperantiae uſus. *i.* Tenuis, inopſque victus, magis ſi quidem praeter conſuetudinem. Ab Illuſtriſſimo Profeſſore audivimus lepidiſſimum ad hoc caput argumentum: Communi in hoſpitio juvenum triginta verſari cohortem, conſilioque hilari apud prandium in diem felici Lyaeo incaluiſſe

luiſſe virtutem; unum vero, proh deos! propter ipſam aquam, dulce merum negligere horridum. Indignatus Bacchus huic duro febrem, quae tum maxime ſaeviret, inflixit; caeteris jocos, vires, et cornua, addidit.

FINIS.